

et libram constitui; id enim ob oculos nobis ponit, beatissimam Virginem inter leonem, et libram collocatam, illius iram mitigare, et iustitiae istius rigorem temperare: quid enim supplicii non inferret leo librae coniunctus, hoc est, Deus iratus, et insulsiat exercens, per libram significatam? et quidem, quod beata Virgo Deum iratum mitigaverit, ex rhinoceronis pulchra similitudine, qua usus est Moses in benedictione Ioseph, Christum praefigurantis: *Quasi primogeniti*, inquit (*Deuter. 33*), *tauri pulchritudo eius, cornua rhinoceronis, cornua illius, in ipsis ventilabit gentes, usque ad terminos terrae*, facile deprehenditur. Narrat divus Gregorius (*33. Mor. c. 13*), rhinoceronem tanta fortitudinis praeditum esse, ut nulla vi capi possit; sed miro hoc artificio opus est, nimirum, ut virgo ei puella ante oculos proponatur, quae venienti gremio parat, in quod ille, omni deposita ferocitate, veluti agnus mansuetus, caput reclinat. Certe Deus ante incarnationem, velut rhinoceros erat, qui cum elephante bellum gerens, cornu ventrem eius dirupit; tunc enim insuperabilis erat, et de omnibus vindictam sumebat; ad aspectum tamen beatae Virginis, eius amore captus, ita mansuevit, ut in gremio thalami virginis caput reclinans, talis postea inde prodierit, ut ab omnibus capi, vinci, immo et vinciri passus fuerit. Illud etiam praeterire non licet observatione dignum, in eo etiam hoc signum Virginis admirabile fuisse, quod licet solaris planeta in signum Virginis intrans, inde exeat, non enim in eo semper moratur; postquam tamen Sol insulsiat semel per incarnationis misericordiam in Virginem fuit ingressus, nunquam amplius inde exierit; quia licet secundum carnem per virginalem partum egressus fuerit, secundum spiritum vero a Virgine nunquam recessit, unde Virgo leonis iram, hoc est, divini furoris in homines exardescens rigorem semper mitigat; immo, usque adeo Deum iram deponere fecit, ut manus sibi omnino teneri, vinciri, immo, et in cruce fixa esse voverit, ne ad evaginandum iustitiae ensem eas movere illa ratione posset. Atque hinc est, quod olim plena utraque manu punire solebat: decem enim plagis percussit Aegyptum, quasi utraque manu in decem digitos extensa in Aegyptum animadvertens: ceterum post incarnationem, manus non extendit ad vindictam, sed expansas legitimis in cruce pro reconciliandis inimicis, Patrem exorans (*Luc. 23*): *Pater, ignosce illis*.

Verum, ne in propositis verbis Ioannis quidquam explicandum desideretur, duo potissimum nobis exponere incumbit; primum est, quod Ioannes beatam Virginem, lunam pedibus calcantem, et caput eius corona duodecim stellarum redimitum viderit. Lunam enim inconstantiam, et mutabilitatis symbolum fuisse non pauca ostendunt; nunc pulchra, nunc quasi maculis foedata, nunc clara, nunc obscura redidit: unde Ecclesiasticus (*e. 27*) dixit: *Homo sanctus in sapientia, manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur; altitudi ad discernim, quod inter motum lunae, et solis versatur: nam huius motus regularis valde est, iter suum sem-*

per faciens per lineam eclipticam; illius vero irregularis, et difformis: luna insuper secundum silius positionem instabilis est; modo enim elevatur, modo se demittit: in figura etiam uniformitatem non servat; hodie rotunda, cras cornuta, nunc plena, nunc semiplena comparat, ut Ovidius (*15. Metamorph.*) dixerat:

Nec par, aut eadem nocturnae forma Dianae
Esse potest usquam, semperque hodierna sequente,
Si crescit, minor; maior, si contrahit orbem.

Atque hinc est, ut ab ea per hanc instabilitatem, et diversarum rerum vicissitudinem, mundus significetur, quem adeo mutabilem iudicantur d. Paulus (*1. Cor. 7*), et d. Ioannes (*c. 2*), ut ille dixerit: *Præterit figura huius mundi*; hic vero: *Mundus transit, et concupiscentia eius*. Quare Mantuanus poeta hanc rerum volubilitatem, quam frequenter in hoc saeculo intuemur, contemplanis, dixit, nobiscum fortunam ludere, et loari:

Ludus fortunae variatur imagine lunae.
Crescit, decrescit, in eodem sistere nescit.

Deiparam ergo Virginem lunam pedibus calculare, nihil aliud est, quam ipsammet terrenam despiciere; ita ut melius, quam d. Paulus (*Philp. 3*), dicere possit: *Omnia arbitrata sum, ut stercorea, ut Christum lucrifaciam*: et veracius, quam David (*Psal. 72*): *Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Habet etiam Deipara Virgo Lunam mutabilem sub pedibus eius, ad significandam eius in fide immobilitatem: deficientibus enim in ea multis ex discipulis, aliis vacillantibus, ipsa tamen immobilis Ecclesiae columna in fide firmissima semper persistit. Tandem iam exponamus, quid sit, beatam Virginem coronam ex duodecim syderibus contextam capite gestare. Trifariam hanc coronam explicare possumus. Primo, ut quemadmodum d. Paulus (*1. Thessal. 2*) discipulos suos coronam, et diadema suum vocabat: *Gaudium meum estis vos, et corona mea*. Secundo putaverim per hanc coronam non incongrue significari eos, qui speciali devotione, et cultu b. Virginis addicti sunt. Pro cuius intelligentia observare oportet, quod cum Dominus praedixit Abrahae, multiplicatorum sibi filios, sicut stellas coeli, et sicut arenam maris, id procul dubio indicare voluit, quod ex ingenti illa filiorum multitudine quidam, prae gravi peccatorum pondere, velut arenam, deorsum descensuri; alii vero, velut fulgentissimae stellae gratiae fulgoribus coruscantes, sursum erant ascensuri: ex his ergo, velut ex splendidissimis syderibus, contextam vidit Ioannes coronam, qua cingebatur caput b. Virginis: nam si, ut ait Salomon (*Prov. 13*): *Filius sapiens est gloria patris*; quidni filii sancti gloria, et corona erunt matris? Tertio, quod et in magnam Virginis laudem cedit, apie satis existimo, has duodecim stellas, quibus virgineum diadema textitur, esse duodecim virtutes, per duodecim signa zodiaci egregie adumbratas, quae in coelo hoc animato b. Virginis emicaverunt. Prima fuit *magnanimitas*,*

quia nunquam in diversa mutata, sive in prosperis, sive in adversis, non minus in his, quam in illis, semper Deo adhaerens, iuxta illud (*Proverb. 12*): *Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit*. Haec per signum arietis figuratur, quem novimus uniformiter dormire super latus dexterum, et sinistrum; sex mensibus supra hoc, et sex supra illud; unde astrologi ansam sumpserunt primum illud signum arietem vocare, quia cum sol domum eius ingreditur, aequalis est nox diei. Secunda virtus est *perseverantia*, quae invincibilem, ac insuperabilem illam reddebat: hanc adumbrat signum tauri, cuius maxima fortitudo omnibus nota est. Tertia ardentissima *charitas*, quae non solum ad Deum, sed ad proximos extenditur; quia, ut inquit Gregorius (*ho l. 17*), *minus, quam inter duos haberi charitas non potest*. Hanc clare delineat signum gemini, dualitatem importans. Quarta *obedientia*, quae abnegatione voluntatis cum retro incedere compulsi, per canerum animal optime figurata, quod retrorsum incedit, contra reliquorum animalium consuetudinem, quae ante faciem suam ambulat. Quinta assidua *vigilantia* contra daemonem, calcaneo eius insidiantem, quam signum leonis adummissum refert, cuius, ut observavit Plutarchus (*4. simp.*), oculorum palpebrae sunt adeo breves, et curvae, ut pupillam operire non possint, unde cogitur apertis oculis obdormire; cuius causa antiqui, tamquam symbolum vigilantiae, illum usurparunt. Sexta illibata *virginitas*, quae in perpetua, et plusquam angelica puritate eam continuit, omnem ardoris libidinem perfecte adeo suppressit, et neque ullam eius motum excitari permittere: haec, quis non videat, per signum virginis, quod est unum ex signis zodiaci, congrue significari? Septima *iustitia*, cuius proprium est unicuique quod suum est, tribuere, per signum librae optime significatur, quia statera mensura est ad mensurandum unicuique, quod sibi iure debetur. Octava *paupertas* spiritus, de qua Christus Dominus (*Matth. 5*): *Beati pauperes spiritu*, per quam ardens mundi amor tepescit, et terrenis cupiditatibus moritur. Haec significatur per signum scorpii, cuius haec est natura, ut veneno suo cor eius, quem mordet, infrigidet, et mortem intueat; unde, cum sol incipit hoc signum ingredi, incipit etiam frigus in nostro hemisphaerio vigere. Nona *oratio humilis*, quae ex pharetra cordis divino amore accensi ardentem sagittam ad divinum cor emittit, adummissum sane adumbrata per signum sagittarii. Decima altissima *contemplatio* rerum coelestium, quae usque ad conspectum Dei, et limpidiorem cognitionem, quam fuerit Moyses, et Pauli in rapto, illam evertit; haec satis, superque significatur per signum capricorni, nam huiusmodi animal visu perspicacissimum est; indeque *capra* graece dicitur, a *videndo*, quia potentia visiva in ea maxime viget. Undecima *pietas*, de qua d. Paulus (*1. Tim. 4*): *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est*: haec quidem, cum animam ad multiples bonorum operum factus in lucem candelas foecundet, concinne satis praenotatur in signo aquarii, cum aqueum

elementum terram foecundet, et arbores varios fructus producere faciat. Duodecima tandem *stella devotio* fuit cum dulcissima lacrymarum effusione, in qua ipsa nutritur, et crescit, quae per signum piscis nonnisi in aqua degere possit. His ergo omnibus virtutibus, tamquam fulgentissimis syderibus, contexta fuit beatissimae Virginis corona. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XVII.

Ostendimus adversus impium haeresiaracham Nestorium, Virginem non solum Matrem Christi, sed pleno ore, Dei Genitricem, esse appellandam, in illa verba: Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei: pariterque deteguntur calumniae eiusdem Nestorii, quibus catholicam hanc veritatem labefactare tentavit.

Antiquus ille serpens adversus veram Christi carnem tot venenosus haeresum halitus per totam Europam effudit, ut si omnes recensendi mihi essent, non posset absque ingenii gravolentia, supervacaneoque labore, necnon piorum auditorum offensione praestari: quare consulto, silentio praeteriens detestandos errores, quos adversus veram Christi humanitatem, veramque Mariae erga illum maternitatem, impie, ac petulantur confinxere Manichaei, Procligneiani, Cerdoniani, Anabaptistae, Valentiani, Ebionitae, Eutychniani, necnon Marcion, Apollinaris, et Apelles, catholica dogmata istorum omnium nefarios errores inguliantia, inconcussa fide amplectenda, in medium producam, et sacrige eloquii, ac sanctorum Patrum monumentis comprobabo. Primum est, b. Virginem proprie, ac vere Matrem fuisse Christi Domini, utpote quod ex propria substantia illum hominem genuerit. Hoc palam confessi sunt antiqui Vates: nam David (*Psal. 70*) dixit: *De ventre matris meae, Deus meus est ut: et Isaias (c. 9) inquit: Ecce Virgo concipiet, et pariet filium: et c. 11. Egre diatur virga de radice Jesse, et flos, vel ut alii legunt, germen, de radice eius ascendet. Ut enim Tertullianus (de ver. Chri. cor.) explicat, per virgam de radice Jesse Mariam ex Davide, qui filius fuit Iesse, per florem vero, seu germen, Christum eius unigenitum intelligit: quare sicut germen de natura eiusdem virgultii prorumpit, similemque naturae formam ab eo accipit, ita Maria, tamquam vera Christi Mater, veluti virga florem germinans, e suae carnis substantia hominem filium sibi similem procreavit. Sacri deinde evangelistae idipsum contestantur aperte, nam (*Lucas 1*) Elisabeth divino Spiritu afflata dixit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* et (*c. 2*) habetur: *Simcon dixit ad Mariam matrem eius: et angelus idem apud Mattheum (c. 1. 2) ait: Accipe puerum, et matrem eius, et alibi (Ioann. 2): Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Ioannes etiam inquit (c. 2): Et erat**

*Mater Iesu ibi; et alibi (c.19): Sabat autem in-
ta crucem Iesu Mater eius, et soror matris eius.*
D. Paulus (ad Gal. 4): *Misit Deus Filium suum,
factum ex muliere, factum sub lege.* Immo il-
ipsius non obscure mihi probare videntur
verba illa Sapientis (Sap. 7): *Sum quidem et
ego mortalis homo, similis omnibus, ex genere
terreni illius, qui prior factus est, et in ventre
matris figuratus sum caro.* Ac tandem in sacra
Scriptura nihil frequentius, quam Christum
Dominum filium hominis, filium David, filium
Abraham nominari, quod non ob aliam ratio-
nem verificatur, nisi quia per veram genera-
tionem ex Virgine matre ab illis originem du-
xit. Neque vero quidquam enervat vim horum
testimoniorum, quod etiam Ioseph frequenter
in evangelica historia pater Christi appelletur,
cum tamen non generet illum: Lucas enim (c.2)
ait: *Erant mirantes pater, et mater eius super
his, quae dicebantur; et iterum inquit: Cum in-
duceret puerum Iesum parentes eius: ac tan-
dem ibidem: Pater tuus, et ego, dolentes quaere-
bamus te: hoc, inquam, non infirmat catho-
licam hanc veritatem, quin potius fortius eam
stabilit; nam ad discrimen hoc explicandum
inter Iosephum et Mariam expresse dixit s. Lu-
cas (c.3.): *Putabat filius Ioseph; quod tamen
de Virgine nullus protulit evangelistarum.* Deinde,
quia de Ioseph nunquam dicitur genuisse
Christum; secus vero de Maria, cum angelus ei
diceret: *Ece concipies, et paries filium:* et
d. Matth. asserat Ioseph virum Mariae, de qua
natus est Iesus, qui vocatur Christus: non dixit,
de quibus, sed de qua, ut sic ad genera-
tionem Christi Mariam admitteret, Iosephum
excluderet. Patres etiam eandem veritatem un-
animi consensu frequentissime docent, quo-
rum nonnulla ego contentus ero proferre testi-
monia, cum omnia impossibile sit referre. Epi-
phanius ergo ait: *O Virgo sanctissima, quae
exercitiorum angelorum in stuporem deduxisti. Stup-
endum enim est miraculum in caelis mulier a-
micta sole; stupendum miraculum in caelis, mul-
lier gestans lucem in ulnis; stupendum miracu-
lum in caelis, alter thronus cherubicus; stupendum
miraculum in caelis, mulieris filius, qui et ip-
sius, et saeculorum est pater; stupendum mira-
culum in caelis thalamus Virginis habens Filium
Dei, Deum sponsum Christum. B. vero Andreas
Ierosolym. (in explicat. Angel. salut.) in hunc
modum loquitur: *Est Virgo mater sancta telus
i. e. quae novus Adam ineffabilis fatione for-
matus nascitur: est sacrum Dei firmamentum,
quo tota generis humani massa conspersa, et ex
quo Christi corpus tamquam panis conficitur: est
nova gloriae arca, et urna aurea, quae dulces
manna continet, atque praestat: est mirificum
aurum, ex quo coelestis agricola suam sine se-
mine spicam educit: est eximium templum, ex
quo Deus sacerdos secundum ordinem Melchise-
dech egreditur: atque, ut semel absolvam, est
ardens, ipsique Moysi admirabilis rubus, quem
divini spiritus flamma non adussit. Graecus auc-
tor Hesychnus presbyter Ierosolymitanus (ser.
2. de S. Deip.) haec in idem argumentum ele-
gantur scripsit: *Peperit, inquit, et uterum non
aperuit: concepit, et vulvam non corrupit; edu-
cit infantem, et uterum signatum reliquit; haec****

*suppedilavit ubera, tamen intacta conservavit:
pariavit puerum, pueri tamen patrem non agnos-
cebat; mater effecta est, quae minime sponsa
fuit; nutricatur filius, et non inveniebatur pa-
ter. Deinde haec venustas similitudinum adducit:
Ager fructum edebat, et fructus carebat cultore;
semen reddebat, quae semen non acceperat; cur-
rebat fluvius, et fons quacumque ex parte efflu-
ens erat, ut perspicuum fieret te matrem esse
factam, et tamen non esse passam ea, quae mu-
lieribus accidunt. D. Ambrosius (lib. de insti.
virg. c.16) similiter ait: *Beatus Mariae uterus,
qui tantum Dominum coronavit: quando forma-
til, coronavit eum, quia hoc ipso quod ad om-
nium salutem eum concepit, et peperit, coronam
capiti eius aeternae pietatis imposuit, ut per
sola credentium fieret omnis viri caput Chris-
tus: et (lib. 10. epist. 82) ait: *Testabatur de
cruce Christus, et inter Matrem, et discipulum
divisabat pietatis officia. In eundem sensum Cas-
siodorus explicans illa verba: Videte Salomo-
nem in diademate, quo coronavit eum mater sua,
haec scripsit: *Considerate Christum pro nobis
carne indutum, quam carnem de carne Virginis
matris assumpsit, in qua mortis destruxit im-
persum; mater vero sua eum coronasse dicitur,
quia Virgo Maria illi de sua carne carnis ma-
teriam praebuit, in die desponsationis eius, hoc
est, in tempore incarnationis, quando sibi Ec-
clesiam coniunxit. Iam vero superioribus duos
invictos Christi pugiles, eosque veteres, Iusti-
num, et Hippolytum adingamus, qui doctrina-
m eandem non scriptis modo, sed et profuso
sanguine comprobant. Prior in hunc modum
docet: *Filium hominis seipsum Christus dicebat,
vel quia natus est de Virgine, oriunda a Da-
vide, Iacobo, Isaac, Abrahamque; vel quia ipse
Abraham, etiam reliquorum deceps pater est,
ex quibus Mariae stirps exinde deducitur. Sci-
mas enim patres florum, etiam liberarum pa-
tres esse, quos illae pariunt. Alter vero, sci-
licet Hippolytus: *Dic mihi, inquit, o beata Ma-
ria, quid erat, quod in tuo erat utero concep-
tum, et quid erat, quod a te in virginali ma-
trice gestabatur? Sermo erat Dei primogenitus
in utero formatus, et homo primogenitus
in utero formatus, ut primogenitus sermo Dei
homini primogenito conunctus ostenderetur.******

Quod autem a perfidis Valentinianis affer-
tur, Verbum per Mariam quasi per canalum
transvisse, neque tamen ex illa quidquam
contraxisse, in hunc modum Origenes (Dial.
de Christo hom.), vetus et ipse theologus, con-
futavit: *Sic Verbum per Mariam penetrare turpe
non duxit, nec ex ea aliquid sumere puduit: et
in quem finem transiret, nisi inde aliquid de-
liberet? si hominem non accepit ex Maria, quo-
modo consistent verba Apostoli? quomodo mortuo-
rum primogenitus erit? quomodo primitiae dor-
mientium? tradit igitur hunc canonem Orige-
nes: *Non oportet aures inclinare his, qui di-
cunt per Mariam, et non ex Maria Christum
natum, quod Apostolus praescians ait: Cum au-
tem veni plenitudo temporum, misit Deus Filium
suum factum ex muliere, factum sub lege, ut
eos, qui sub lege erant, redderem. Vides, quia
non dicit, factum per matrem, sed factum ex
muliere. Hinc d. Augustinus (lib. de fid. et symb.):**

*Delectandi etiam illi sunt, qui Dominum nostrum
Iesum Christum matrem Mariam in terris habuisse
negant; quum illa dispensatio utrumque secerum,
et masculinum, et foemininum honoraverit; et ad
curam Dei pertinere monstraverit, non solum quem
suscepit, sed etiam illum per quem suscepit, vi-
rum gignendo, nascendo de foemina. Hinc recte
Eusebius Emisenus (hom. 1. de Nat. Dom.), recte
et eleganter dixit: *Ubi sunt haeretici, qui recenti
errore decepti, et novo antiqui serpentis dente
percussi, dicere ausi sunt, carnem Domini Sal-
vatoris nihil habuisse de Maria? hoc dicunt o-
rientales haeretici, nihil illum participasse de
Matre: hic pestifer sensus orientales ecclesias
occupavit, nihil Christum de nostra consanguini-
tate traxisse, sed per Virginis transisse uterum,
quasi per corpus alienum: et quid egil
illis necesse mensibus intra illud materni corporis
gocente secretum? illic utique de eius me-
dullis ratione operante collectus, illic natura
stupente compositus, illic per legitima nascendi
spatia de carne carnis incrementa mutuatus est.
Quod si nihil attracturus erat de propriae pa-
rentis materia, quid opus erat longa hospitii
mortalis iniuria? Tandem ne in recensendis Pa-
trum testimoniis multus sim, capita dumtaxat
reliquorum breviter indicabo: docuerunt enim
eandem veritatem Nazianzenus (orat. 51), Gre-
gorius Nyssen. (orat. de Nativ. Dom.), d. Idel-
phonus (de virgin. Mar.), Origenes (hom. 1. ex
coll. in unum), b. Petr. Damian. (ser. de Nativ.
b. Vir.), Richardus Victor (in lib. 2. de Emman.
c. 25), ac reliqui omnes catholici sacrorum vo-
luminum interpretes.**

Licet tamen ad hoc, ut b. Virgo esset vera
mater Christi, opus non esset ut active con-
curreret ad eius generationem, sed solum sub-
ministraret materiam necessariam ad foetus
formationem, ut docet angelicus doctor (3. p.
q. 32. art. 4), quem secuti sunt gravissimi theo-
logi; seraphicus tamen d. Bonaventura, et
alii graves auctores tradunt, b. Virginem effe-
ctive cooperatam fuisse cum Spiritu sancto
ad Christi Domini generationem: quam sen-
tentiam prohabilem etiam arbitror, non eo sen-
su, quo quidam moderni doctores illam acci-
piunt, nimirum ut b. Virgo per virtutem ac-
tivism seminis active proderet Christum, cum
minime ille per seminatalem rationem, sed ex
purissimo Virginis sanguine fuerit genitus, ut
Patres communi consensu tradunt; sed quate-
nus Spiritus sanctus virtutem activam ei con-
tulit ad concipiendum, et generandum Chri-
stum Dominum, ut expresse docuit d. Dama-
scenus (l. 3. fidei): exhibuit ergo b. Virgo con-
cursum passivum, et activum ad Christi Do-
mini conceptionem; unde licet ratione illius su-
pernaturalis activitatis, et quia motus concipi-
endi absolute fuit supernaturalis, utpote sine
opera viri, et Spiritu sancto cooperante, et
quia momento temporis supra totum ordinem
naturae formatio illius corporis facta fuit, ut
docuit Eulychianus Papa (epist. 1. de cr.), et d.
Dionysius (epist. ad Cai.), b. Virgo dici possit
mater supernaturalis, et miraculosa, ut lo-
quitur d. Bonaventura (in 3. dist. 4. art. 2); abso-
lute tamen loquendo etiam fuit mater natura-
lis Christi, quia naturale fuit quod ipsa prae-

stilit ei, communis scilicet illa materia sanguinis,
et concursus necessarius, quem aliae matres
subministrare, et exhibere solent ad prolis for-
mationem, quod Inconter saturis doctissimis mihi
videtur angelus, dum in utero concepturam
Virginem praedixit: *Concipies in utero: ecce
conceptionem naturalem, et cum deinde Spiritu
sancto cooperante id faciendum esse aperuit:
Spiritus sanctus supererit in te: aperte satis
conceptionem supernaturalem indicavit: unde
d. Ambrosius (l. de incar. Filii Dei) dixit: *Multa
secundum naturam veniens, multa supra natu-
ram fecit: secundum conditionem enim naturae
in utero formatum est corpus, sed supra natu-
ram Virgo concepit, ut crederes, quia Deus e-
rat, qui invocabat naturam, et homo erat, qui
secundum naturam nascetur ex homine: atque
ex his colligit s. Bonaventura (3. d. 3. p. 1. q. 1),
quod b. Virgo perfectiori modo fuit Mater Chri-
sti, quam aliae foeminae sint matres saorum
filiorum; tamen quia perfectius, quam illae om-
nes, concepit, peperit, lactavit, educavit filium
suum, Spiritu sancto ad haec omnia il-
lum obumbrante; tunc quia subministravit fi-
lio plus materiae, quam aliae matres: exhibuit
namque ipsa sola totam materiam, quam
pater, et mater filius communicare solent: unde
d. Anselmus (lib. de excoll. Virg. c. 3) ait: *A-
morem, quem pater, et mater filius debent, fi-
lio suo debet haec felicissima mater; amorem
etiam, quem debet quilibet Filius simul suo pa-
tri, et matri, ille Filius vere Virginis debet soli
matri.***

Haec omnia cum verissima sint, oportet
rationem reddamus, quare Christus Dominus nun-
quam legatur Virginem Matrem suam appel-
lasse: Ioannes enim (c. 2) mulierem illam appel-
lavit: *Quid mihi, et tibi est mulier?* et (c. 19):
Mulier, ecce filius tuus; immo quod magis
difficultatem auget, matrem illam negare vi-
sus est, dum quibusdam illi nunciantibus, quod
mater eius adesset foris, expectans cum, ipse
confestim respondit (Matt. 12): *Quae est mater
mea?* D. Augustinus (tr. 8. in Ioan. et lib. de fide
et simbolo c. 4) respondet in illo loco Ioann. 2.
non vocasse Christum illam matrem, ut indi-
caret illud miraculosum opus, quod b. Virgo
ab eo postulabat, esse divinae virtutis, et non
humanitatis proprium, quam solam a matre
susceperat; in loco vero Ioannis 19. Nicolaus
Lyranus tradit, illum appellationem matris vi-
tasse, ne Virginem lacrymantem amplius, et
amplius commoveret. Vel dicamus, quod cum
ipse solitus esset facere quae docebat, iuxta
illud (Act. 1): *Coepit facere, et docere:* certe
cum nos docuisset: *Nolite vocare vobis patrem
super terram, ideo ab appellatione matris pro-
pter exemplum nostrum se abstinebat.* Ad lo-
cum tandem Matthaei (c. 13): *quae est mater
mea?* Chrysostomus (hom. 45. in Matt.), August.
(lib. de s. Virg. c. 3. et l. de fide contra Manich.), et
Tertull. (l. de carne Christ.), occurrunt dicen-
tes, non negasse ibi Christum matrem suam,
sed illis verbis eos interpassa, qui se concio-
nantem importune interpellarent: deinde do-
cuisset, propter consanguineos non esse opus
Dei omittendum; et rursus, quorundam iactan-
tiam compescere voluisse, qui de Christi con-

sanguinitate gloriabantur, ut significaret, eam sine spiritali conjunctione cum illo nihil prodesset, hanc vero per se solum nullam valere.

Alterum catholicum dogma est, b. Virginem confitentem esse matrem non solum huius hominis Christi, sed matrem, et genitricem Dei, ut contra impium Nestorium definitum fuit in concilio Ephesino, et Chalcedonensi, et 6. Synodo (act. 4. et 11. et in 7. Synodo act. etiam 5. et 7.), et in Concilio Lateranensi sub Martino I. (can. 3). Dicebat ergo impius Nestorius, ut ex codice illius in concilio Ephesino refertur, *Deum ex Christipara Virgine produisse, ex divina Scriptura sumus edocti; Deum vero ex ipsa genitum, nunquam edocti sumus: ac rursus: Nusquam divina Scriptura Deum ex Christi genitrice dicit natum, sed Iesum Christum Dominum. Refert autem d. Cyrillus (in epist.), hunc ignem Nestorianae haereses accendisse magis Dorotheum episcopum, qui ausus fuit palam effutire: Si quis dicit, genitricem Dei Mariam, anathema sit. Verum matris honos ab his nefariis hostibus violatus, a fido, ac dilecto filio suo acriter tandem vindicatus fuit, providente divino numine, ut ducenti episcopi, qui ad ephesinum concilium convenerant, unanimi consensu, Spiritu sancto afflante, proclamarent, Mariam Dei Genitricem, pleno ore vocitandam. Et quidem licet ipse Nestorius videns se propter hunc errorem non solum a synodali conventu reiectum, ac omni dignitate episcopali privatum, sed etiam a Caesare proscriptum, quartoque exilio muletatum, inflictae poenae acerbitate illum acriter discruciantem, fucatae respicientiae speciem praese tulit, ac velut priorem multasset sententiam, hoc modo fieri coepit: Dicitur etiam Dei genitrix Maria, et contentiones tristes facessant.*

At licet verbis palinodiam recantare videretur, tamen ipsa errorem suum tenacissime retinebat, non aliter Dei Genitricem Mariam concedens, quam ad eum modum, quo dicitur, foeminam aliquam matrem esse episcopum, non quia episcopum concepti, sed quia genuit eum, qui postea factus est episcopus. Concedebat enim Nestorius, Virginem fuisse matrem puri hominis, qui postquam conceptus fuit in utero eius, postea factus est Deus. Sed absit longe a catholicis animis detestabilis hic error; in quocumque namque momento Virgo fuit mater hominis, fuit Mater et Dei: quia cum generatio consistat formaliter in unitione animae cum corpore, quae sunt partes essentiales hominis, et istae in instanti conceptionis essent prius ordine rationis unitae Verbo divino, ut expresse docuit d. Thomas (3. p. q. 6. art. 5. ad 1) dicens: *Assumptio partium est prior via operationis intellectus, non temporis: nusquam Virgo genuit hominem, quin simul hominem Deum verum gigneret.* Quam doctrinam angelici doctoris mihi apprime omnino necessariam esse ad salvandam et defendendam hanc catholicam veritatem, et quod Virgo sit mater Dei, constanter teneo: quod si prius natura vel intellectu, quam Verbum divinum esset unitum carni, et animae, beata Virgo concepit, tota actio Virginis praecellenter terminata ad humanitatem prius ordi-

ne rationis, quam esset assumpta; non ergo posset dici mater Dei, quia ad hoc idem valeret ordo rationis, vel naturae, quod temporis: est autem manifestum, quod si Deus post totam illam actionem Virginis distulisset etiam per minimum tempus unionem Verbi cum humanitate, revera Virgo non posset dici mater Dei: igitur etiam si prius natura concepit hunc hominem, licet alioquin in posteriori natura fiat Deus, non dicitur genuisse Deum: oportet igitur ad veritatem hanc tuendam lateri cum d. Thoma praecitato loco, ordine executionis prius ratione carnem, et animam fuisse unias Verbo, quam b. Virgo conciperet prolem; sic enim vere Filius Dei fuit conceptus, et genitus ab illa: quia sicut agere, ita concipi, et generari proprium est suppositi: unde insignis ille Vincentius Lyrinensis, ut Nestorii doctrinam retunderet, eruditè dixit: *Virgo christiana est Theotocos, id est, Dei Genitrix; sed non eo modo, quo impia quaedam haeresis suscipitur, quae asserit eam Dei Matrem sola appellatione dicendam, quae enim scilicet peperit hominem, qui postea factus est Deus: sicut dicitur: presbyteri, aut episcopi matrem, non iam presbyterum, aut episcopum pariendo, sed cum generando hominem, qui postea presbyter, vel episcopus factus est; non ita, inquam, sancta Maria Theotocos, id est Deipara, sed ideo potius, quoniam iam in eius sacro utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quandam atque unicam personae unitatem, sicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus est. Confirmant hanc doctrinam ss. Patres; nam Damascenus (li. 3. c. 2) in hunc modum loquitur: *Carnem animam rationalem, etque intellectuali animatum condidit, et eius hypostasis factum est, scilicet Verbum divinum; ac proinde simul ut caro extitit, simul quoque Dei Verbi caro extitit; simul caro animata rationis atque intelligentiae particeps.* Similia eleganter docuit d. Fulgentius (lib. de incarn. c. 3. in fine), cuius egregia verba sunt haec: *Nec caro sine Verbi Dei unitone potuit aliquatenus nullius viri coitu seminata in intimo vultus virginis inasceri. Non est igitur aliquod intervallum temporis aestimandum inter conceptam carnem initium, et concipiendam maiestatis adventum: quam doctrinam hi Patres hauerunt tum ex variis locis sacrae Scripturae, ut ex illo (Lucae 1): *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei: et ex illo (ad Rom. 1): *Factus est ex semine David secundum carnem: et (ad Galat. 4): *Factum ex muliere: et ex verbis Elisabeth (cap. 1. Luc.): *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? illa enim vox Domini divinum indicat personam, ut expresse testantur d. Damascen. (lib. 3. de fide c. 12), et d. Greg. (lib. 9. reg. epist. 61) ex concilio Ephesino (1. can. 13), qui sumptus est ex epist. Cyrilli ad Nestorium: ubi haec verba habentur: *Ideo Deum natum esse in Virgine, et conceptum, quia in utero Virginis, et in ipsa conceptione hominis, Deus carni unitus est animatae, et in concilio Francofordiensi (in epist. ad Episcopos Hispaniae) circa finem referuntur haec verba ex Gregorio (in epist. ad Quirinum): *Non prius in utero Virginis caro concepta est, et postmodum dicitur********

venit in carnem. Ac tandem concilii Chalcedonensis Patres, qui laudem purae doctrinae, et religionis maximam meruerunt, ut sensum, et spiritum Ecclesiae nobis comprobarent, uno velut ore proclamantur: *Christus Deus est, sancta Maria Deipara scribitur: qui non sic capit, haereticus est: Nestorianus mitte foras.* Atque hinc est quod passim apud Patres reperimus Mariam Dei Genitricem, et Deum vere natum ex Virgine: Ignatius enim (in epist. ad Trull.) ait: *Vere genuit Maria corpus habens in se Deum habitantem; vere natus est Deus Verbum ex virgine vestitus corpore; vere natus ex vulva, qui corpus sibi fabricavit ex sanguinibus Virginis: et d. Aug. (1. ser. contr. Arianorum c. 8) inquit: *Unus Christus est, et Dei Filius semper natura, et hominis filius, qui ex tempore assumpta non ut prius creatus post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur, et cap. 28, acute, ut assolat, ad hoc propositum accommodat illud Psal. 21. *De ventre matris meae Deus meus est: de ventre quippe matris eius, in quo hominem sumpsit, Deus eius est. Doctor Fulgentius (lib. de fide, ad Pet.) hanc fidei regulam omnibus amplectendam hoc modo praescribit: *Firmissime teneas, et nullatenus dubites, unam ex Trinitate personam, id est Dei Filium, qui de natura Patris solus natus est, et unius eiusdemque naturae cum Patre est, ipsum in plenitudine temporis secundum susceptionem formae servitili voluntario in Virgine conceptum, et de Virgine natum, Verbum carnem factum, ipsum quoque esse, qui essentialiter natus est de Patre, et essentialiter conceptus est, natusque de Virgine; ipsumque unum esse, et unius naturae cum Patre: hactenus d. Fulgentius: audiamus nunc d. Damascenum (li. 3. fd. ortho. c. 12), censuram suam his verbis textentem: *Iure optimo, et pro veritate Deiparam inconclamnatam nominamus Mariam; hoc enim nomen omne dispensationis mysterium commendat; nam si Deipara est, quae genuit, revera Deus est, qui ex ipsa genitus est, revera etiam et homo: quomodo enim ex muliere genitus, natusque Deus est ante saecula hypostasim habens, nisi homo factus est? si autem ipse, qui ex muliere natus est, Deus est, unus est profecto, qui ex Deo Patre natus est secundum divinitatem, et sine initio substantiam, et qui novissimis temporibus ex Virgine natum secundum initium habentem, et temporalem substantiam, id est humanam. Accedit d. Bernardus (nom. 4. sup. Mis.), qui pie, ac crudelè dixit: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei: quoniam non est de homine, sed de Spiritu sancto quod concipies; concipies autem Altissimi virtutem, hoc est Filium Dei, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei, id est, non solum quod de sinu Patris in utero tum veniens clumbrabit tibi, sed etiam id quod de tua substantia sociabit, ex hoc iam vocabitur Filius Dei. Quemadmodum et is, qui a Patre est ante saecula genitus, tuus quoque amodo reputabitur filius; sic autem quod natus est ex ipso Patre, erit tuus, et quod nascetur ex te, erit eius, ut tamen non sint duo filii, sed unus; et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit, iam non tamen cuiusque suus, sed utriusque erit filius: ac tandem d. Epipha-******

nus (in nom. de laud. Virg. quem vertit Iohannes Canonicus, Paris.), qui Nestorii praecessit aetate, his verbis honestat Mariam: *Sancta Maria, Virgo Deipara, beata tu inter mulieres, quae nunc genuisti eum, qui olim in paradiso formavit Adam ex luto; tu enim es Deipara, quae Verbum ex te incarnatum peperisti: Deipara existis, quia Deum Verbum suscipiens incarnatum peperisti: Deipara existis, quae sola solus Dei unigenitum filium genuisti. Idem docuerunt ante Nestorium Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, Origenes, Eusebius, et quorum meminere Cyrillus, Theodoretus, et Rusticus diaconus, qui omnes fatentur b. Virginem genuisse Deum, ac proinde veram Dei matrem esse; ex quo aperte constat, ephesinam synodum nomen Theotocos, id est Mater Dei, non primam excogitasse, sed ab antiquis Patribus velut per manus traditum, et acceptum, novo et peculiari studio, ut res postulabat, exultasse, et approbasse, omnibusque in posterum fidelibus retinendam sanxisse: unde d. Cyrillus (epist. 1) dixit: *Hanc fidem discipuli nobis tradiderunt; ad hunc modum a sanctis Patribus instituti sumus. Censuit autem d. Damascenus (l. 3. fd. c. 12) tenaciter adeo retinendum nomen Matris Dei, ut nollet Mariam Christiparam, sed Deiparam appellari: sic enim loquitur: *Christiparam sanctam Virginem neutiquam dicimus, propterea quod ad tollendam Deiparae vocabulum execrandum Nestorius hoc nomen excogitavit. Adverte tamen, minime Damascenum falsam putare Christiferae nomenclationem, sed solum velle, quod grassante haeresi, maiori cautione opus esset, ne sub melle venenum propinquaret, subque viridi herba angus, hoc est, sub vera appellatione mortifera haeresis latitaret; nunc vero Nestoriano errore penitus abolito, licebit etiam Mariam non solum Deiparam, sed Christiparam appellare cum d. Cyrillo (in epist. 1) dicente: *Sola inter ceteras matres sacra virgo Christipara simul, ac Deipara appellatur, et esse dignoscitur, quandoquidem una haec non merum hominem, ut ceterae solent, sed Dei Patris Verbum incarnatum, et hominem factum peperit.****

Ceterum, ut firmius hanc catholicam veritatem, quam in honorem Virginis adeo cedere constat, magis stabiliam, non possum non triplicem haereticorum obiectionem penitus evertere. Aiunt enim in primis Nestoriani, quod impossibile sit, foeminam aliquam antiquiorem se parere: Deus vero adeo antiquior est Maria, ut ille ab aeterno, haec vero ex tempore sit. Equidem quod nulli creaturae convenit, magno Dei miraculo Mariae competi; antiquum nempè dierum, Verbum scilicet, quod erat apud Deum, humana carne induere, non suae naturae vi, sed singulari et admirando divini Spiritus officio, ita tamen, ut secunda in deitate persona id, quod ante Mariam erat sibi proprium, retineret; et rursus, quod non erat, id ex Maria, secundum Gabrielis promissum, assumeret: unde cum in instanti, in quo b. Virgo corpus humanum genuit, Verbum divinum et uniretur, recte potest concipere, et parere antiquiorem se: unde Cassianus (lib. 4. de incarnat. Dom.) egregie dixit: *Non solum antiquiorem se Maria peperit,*

sed et ipsum sui auctorem, omniumque proge-
nitorem: facta est parentis parens, quia quam
facile Deo fuit, ut hominem nasci faceret, tam
facile fuit, ut ipse ex homine nasceretur. Secun-
do obiectabant Nestoriani, quod si veraciter
Virgo posset dici Genitrix Dei, posset esse
consequenter causa Dei appellari; cum
esse genitricem sui esse causam rei genitae.
Huic obiectioni occurrimus, dicens, quod licet
Virgo absolute dicatur genitrix, aut mater Dei,
non tamen est causa, aut effectrix illius: quia
nomen genitricis aut matris determinat natu-
ram humanam, secundum quam Deus proces-
sit ex Virgine; at creari, seu causari, non ma-
gis determinat naturam, quam suppositum. Quod
si haereticus adhuc instet: licet ignis producat
calorem in homine praexistenti, et ea rati-
one dicatur produxisse calidum, ut sic, ta-
men non dicitur producere hominem: ergo licet
b. Virgo dicatur genitrix Christum, qua-
tenus homo est, non tamen dicitur genitrix
Deum: nam quoad hoc ita se habet calor ad
hominem, qui praexistebat, sicut humanitas
ad Deum praexistentem; et sicut hic homo
Christus, et Deus habet communicationem i-
diomatam, ita et hic homo, et hoc calidum:
non aut alia ratione dicitur Virgo genitrix
Deum, nisi quia genuit Christum, qui est Deus:
ergo id non proprie, et absolute dicitur: sicut
licet ignis produxerit hoc calidum, et hoc calidum
sit homo, non ideo dicitur produxisse homi-
nem. Neganda est haec conclusio: nam unio
caloris cum homine est accidentalis, unio
autem humanitatis cum Verbo est substantialis;
unde calefactio tendit ad constituendum unum
per accidens, et ideo non denominatur a ter-
mino substantiali, materialiter se habente; ge-
neratio autem tendit ad constituendum unum
per se, et terminatur ad ipsum suppositum,
quod cum sit Deus, absolute dicitur generatio
Dei. Quod si urgeas ulterius, quod passio
Christi dicitur passio Dei, et locutio Christi
dicitur locutio Dei, quae revera important formas
accidentales, et nihilominus denominant ter-
minum, ut principium non solum formale,
sed etiam materiale: igitur nullius momenti
est differentia signata inter actiones substan-
tiales, et accidentales; maxime quod etiam unio
animae cum materia est substantialis, et
unio arboris alteri insertae, et tamen qui fa-
cit tales uniones, nec dicitur facere animam,
aut causam esse arboris, cui fit insertio, aut
ipsum arboris insertae: igitur quavis b. Virgo
dicatur Genitrix Christi, non tamen Dei, quod
est *insitum verbum*, ut loquitur d. Iacobus. Di-
cendum est ad hoc, quod ex eo quod Deus, et
humanitas constituunt unum per se, inde esse,
ut omnes actiones, quae a tali uno per se
procedunt, vel ad illud terminantur, sive sub-
stantiales, sive accidentales sint, utrumque ex-
tremum denominent: nec est similis ratio de
unione animae cum materia, quia extrema illa
non sunt apta ad denominationem, quae toti
convenit: nec etiam est simile de arboribus in-
sertis, quia tales actiones supponunt partes,
quae uniantur iam substantialiter, et intrinsece
completae, et solum terminantur ad aliud com-
pletum, quod per earum conjunctionem resul-

fat; generatio autem terminatur ad hoc, ut sup-
positum, vel de novo sit in se, vel de novo
sit complementum substantialitatis naturae sibi
unitae; unde cum generatio Christi terminata sit
ad suppositum divinum Verbi, non secundum
se praecise, cum illud sit in se aeternum, sed ad
ipsum, ut actualiter suppositatis naturam hu-
manam, consequens est veracissime dici, Deum
esse genitum ex Maria, et illam Dei Genitri-
cem esse; unio vero animae cum materia non
efficit, ut anima sit materia, vel homo sit ali-
qua pars. Tandem obiectabant, ut auctor est
d. Thomas (3. p. q. 35. art. 4), iidem Nesto-
riani, nonquam in sacra Scriptura legi b. Vir-
ginem matrem aut genitricem Dei appellari,
sed matrem Christi, aut matrem pueri, ut ha-
betur (Matth. 1). Sed huic obiectioni non aliam
censui responsum exhibere, quam a d. Tho-
ma praecellente loco traditum in haec verba: *Licet
non inveniantur expresse in Scriptura dictum,
quod b. Virgo sit Mater Dei, invenitur tamen
expresse in Scriptura, quod Iesus Christus est
verus Deus, ut patet 1. Ioannis ultimo, et quod
b. Virgo est mater Iesu Christi, ut patet Matth.
1: unde sequitur ex necessitate ex verbis Scriptu-
rae, quod sit mater Dei. Dicitur etiam ad Rom.
9, quod ex Iudaeis est secundum carnem Chris-
tus, qui est super omnia Deus benedictus in
saecula: non autem est ex Iudaeis, nisi me-
diante b. Virgine: unde ille qui est super om-
nia Deus benedictus in saecula, est vere natus
ex b. Virgine, sicut ex sua matre: cui sit ho-
nor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA XVIII.

*Quam magna, ac praecellens sit dignitas
Matris Dei, tum sanctorum Patrum tes-
timoniis, tum variis animi conceptionibus
aperitur.*

Inter stupenda illa Dei opera, quae omni-
potentiam eius sublimius effertur, illud semper
in magnam admirationem me rapuit, quod
Virginem ad celsissimam unigeniti Filii sui ma-
tris dignitatem evertit. Non diffitior mirabile
quidem fuisse olim, centenarium senem ex no-
nagenaria, ac sterili anni generare; rubum flam-
mis ardentem non comburi; virgam in serpen-
tem commutari; aquas in sanguinem converti;
manum extra sinum prolatae lepra cadesce-
re; solem apud Aegyptios tenebrescere, et apud
Iudaeam splendere; mare videre Israel, et
fugere ab eo; coelum pluere panem angelo-
rum; rupes in fontes aquarum scaturire; les-
taeque vasa rivos olei sudare; ligno amaras
quas dulces reddi; incultam ac aridam virgam
florere et germinare; aquas Iordanis dividi, ut
filii Israel sicco pede transirent, et mox in
unum coire, ut Aegyptios submergerent; so-
lem in medio sui cursus sistere, ut bellanti
Iosue longiorem redderet diem, et eundem de-
cem gradibus retrocedere tempore Ezechiae;
maxillam asini velut fontem aquarum effun-
dere; ferrum velut palmam in aqua superna-
re; suavem auram in medio flammarum per-
flare, qui tres pueros refrigerabat. Verum haec

omnia mirabilia, longe antecellit, quod Maria
Virgo sit mater Dei: ob id enim adeo stupe-
bat Ieremias, ut diceret (c. 31): *Novum fecit
Dominus super terram: foemina circumdabit vi-
rum. Quid quaeis novum magis, quam quod
integerrima virgo manens peperit virum, stella
protulerit solem, filia conceperit patrem, crea-
tura Creatorem? unde eruditae Hesychius Iero-
solum. (ser. 2. de Deip.) dixit: Concepti, et vul-
vam non corrupit; educit infantem, et uterum
signatum reliquit; lac suppedilavit, ubera ta-
men intacta servavit; portabat puerum, puer ta-
men patrem humanum non agnoscebat; ager fru-
ctum edebat, et fructus carebat cultore; messen
reddebat, quae semen non acceperat. Consonant
his alia d. Epiphani (in serm. de conc. b.
Virg.): *O foemina sanctissima, quae exercitum
etiam angelorum in stuporem delucisti, stupendum
est miraculum in excelsis, mulier amicta sole;
stupendum miraculum, mulier gestans lu-
cem in utero; stupendum miraculum, alter thro-
nus cherubicus; stupendum miraculum, mulieris
filius, qui et ipsius, et saeculorum est pater;
haec ille. Verum et admiratione, ac stupore
quid dignum non putet, quod dum b. Virgo
mater sui patris efficitur, nuper omnia relata
sacrae Scripturae mirabilia excellentiori ac mi-
rabiliiori modo in ea simul confluerint? non
certe sterilis anus, sed quod mirabilis est, in-
tegrissima manens Virgo generavit; non virga
in serpentem ibi est commutata, sed Verbum
Dei caro factum; non aqua est versa in san-
guinem, sed fons perennis aquae vivae virgi-
nis sanguine purpuratur; non manus Moysis,
sed omnipotentis Dei manus, extra sinum pa-
ternum prolata, facta est leprosa, iuxta illud
Isaiae (cap. 53): *Vidimus eam quasi lepro-
sum: sol in altissimis lucens, humanitatis ne-
bulam in terris circumdatus obscuratur; coelum
Mariae pluit non manna, sed panem verum
et supersubstantialem, corpus Christi, vas u-
teri virginis intactum ex se profert illum, cui
vixit nomen oleum effusum est; virga lesse
absque humano cultore florem, non terrenum,
sed coelestem, non marcescibilem, sed qui manet
in aeternum, emisit; Solem iustitiae decem lineis
retrocedere fecit, humanitate Deum induens, quae
post novem angelorum choros decimam lineam
attingit; rubum ardentem incombustum excellen-
tius ipsa ostendit, dum virginitalis rubus mater-
nitatis focundae calore non solum non exustis,
sed pulchrior prodiit; Oceanum mare divi-
nitatis non solum ab ea non aufugit, sed
virgine eius alveo se inclusit; petra Mariani
uteri semen virile nesciens, fontem illum a-
quae vivae ex se protulit, de quo Zacharias
(c. 13): *Erit fons patens domui David; amaras
aquas divini furoris dulcissimis illis verbis:
Ecce ancilla Domini, dulcoravit; divisiones a-
quarum virginitalis et maternitatis Dei et ho-
minis in unum mirifice copulavit, dum ma-
nens virgo, Dei et hominis mater est facta;
ac tandem non ferrum, humile metallum, sed
aurum omnium pretiosissimum, aurum inquam
divinitatis, alveo sui uteri supernatare fecit,
quod omnia illa vetera prodigia atque portenta
longe superat.****

Hinc sancti Patres sublimissimam hanc Dei
CARTHAGENA DE B. M. V.—Vol. I.

genitricis dignitatem admirantes, mira eius en-
comia nobis scripta reliquerunt, quae inutili
silentio minime praetermittenda putamus, quin
potius quae nos ad eam magis illustrandam,
Deipara adjuvante excogitavimus, mox ad-
iungemus. In primis d. Bernardus (hom. 7.
de beata Virg.) in hunc modum loquitur: *An
non Deum et hominum et angelorum Maria su-
um audacter appellat filium dicens: Fili quod
fecisti nobis sic? quis hoc audeat angelorum? suf-
ficienti nobis, et pro magno habent, quod cum sint
spiritus ex conditione, ex gratia facti sint, et
vocali angeli, testante David: qui facit angelos
suos spiritus: Maria vero matrem se agnoscens,
maiestatem illam, cui illi cum reverentia con-
sentium, cum fiducia sum nuncupat filium: et
(hom. etiam 1. super Missus est) inquit: *Est ma-
ius aliquid, super mireris in Maria, scilicet cum
virginitate focunditas: quod si et eius sit ma-
ter, attendas, quod tu a super eius mirabili
celsitudine ducet admiratio? nonne ad hoc, ut
te videas, nec satis possis mirari? nonne tu,
immo veritatis iudicio, illa quae Deum habuit
filium, super omnes etiam choros exaltabitur
angelorum? ac tandem (ibid., alii: Ipsa est Vir-
ginis nostrae gloria singularis, et excellens praer-
rogativa Mariae, quod Filium unum, eundemque
cum Deo Patre meruit habere communem. His
accedunt alia egregia d. Anselmi, qui (lib. de
eccl. Virg. cap. 2): dixit: *Quamvis hoc solum
de sancta Virgine predicatur, quod Dei Mater
sit, excedat omnem altitudinem, quae post Deum
dicit, vel cogitari potest: et (eodem lib. cap. 3)
haec scripsit: *Intendat mens humana, et con-
templetur, videat, et admiretur: unum Filium
sui consubstantialem Deo Patre genuit, hunc
sibi tam unicum, et omnibus omnino aequalem,
non passus est remanere solummodo suum, sed
eundem ipsum voluit, in rei veritate esse bea-
tae Mariae unicum, et naturalem filium; nec
ita, ut duo essent, unus videlicet filius Dei,
alius Virginis; sed unus idem ipse, qui Filius
Dei, in una persona esset filius Virginis, et
qui filius Virginis, unus et idem ipse esset in
una persona filius Dei. Quis haec audiens non
obstupescet, et quod Deus tale quid velle potu-
erit, non ultra omne quod dici potest, admira-
bile ducit? Brevius tamen d. Augustinus (ser.
de Assumpt.) ait: *Huius dignitatis effectum nec
cor concipere, nec lingua valet exprimeret. Sed
d. Bonaventura (in opus. Virg. c. 8) tantam, ac
tam sublimem censuit Matris Dei dignitatem,
ut dicere non dubitaret: Virgo est mater, quae
maiorem Deum facere non posset: maiorem mun-
dum posset facere Deus, maius coelum posset
facere Deus; maiorem matrem, quam Matrem
Dei, non posset facere Deus. Atque hinc est,
quod d. Thomas quandam infimitatem tribuit
dignitati matris Dei: prima cum parte quae.
25. a. 6. ad 4 inquit: *Humanitas Christi ex hoc
quod est unita Deo, et beatitudo creata, ex hoc
quod est fruitio Dei, et b. Virgo, ex hoc quod
est Mater Dei, habent quandam dignitatem in-
finitam ex bono infinito quod est Deus; et ea
hac parte non potest aliquid fieri melius eis,
sicut non potest aliquid melius esse Deo. His
consonant verba Alberti Mag. (super Miss. c.
190) dicentis: *Maior gratia non potest intelligi*******

parae creaturae communicari, quam esse Matrem Dei. Unde sicut historiographi regnorum Hispaniae referunt, Herculeum in fine illius regionis duas celebres erexisse columnas, cum hac inscriptione: non plus ultra; ita Deus nihil fecisse videtur, qui in virginea ac foecunda Mariae terra has duas virginitalis, et maternitatis columnas erigens, inscriptionem illam apposuisse, perhibetur: non plus ultra. Certe si Christus Dominus uterum habuisset fratrem, magnam ille fratris Dei dignitatem obtinisset; at nullo illa excellentiorem esse matris Dei dignitatem, illud non obscure probat quod relatio fraternalis quamdam aequalitatem, maternitatis vero quamdam superioritatem praefert, quae specialem prae illa excellentiam confert. Deinde s. Antoninus (4. p. tit. 18. c. 22. §. 9) huius maternitatis miram dignitatem contemplans, in eam singularem valde et ingeniosam cogitationem incidit, ut beatam Virginem sacram Scripturam victam appellaret, quae tanto excellentius Deum exprimit, quanto quod vivum rem depiciat superat, sic enim ait: Verum quanto facta sunt potiora verbis, et scripturis, tanto sunt ostensa maiora in Maria, quam in Scriptura per Deum: nam Scripturae dedit, ut de Deo loquatur: Mariae contulit, ut per eam Christum panderet; ubi eum multiplex legit figura, hic vestit eum Mariae caro pura; ibi promittitur, hic ostenditur; ibi latet in mortua charta, hic patet in carne monstrata; ibi dicta sunt magna, hic facta sunt magna, quia fecit, inquit, Dominus magna, qui potens est: hinc est, quod sicut sacra Scriptura cunctas refellit haereses, non secus b. Virgo omnes illas prostravit, Ecclesia catholica carente: cunctas haereses sola interemisti in universum mundo. Unde d. Bernardus (ser. de verb. illis Apoc. Signum magnum) ait: Sola contrivit universam haereticam praevitatem; alius enim de substantia carnis suae Christum non edidisse dogmatizabat; alius non parvulum peperisse, sed reperisse sibilabat; alius vel post partum viro cogitavit blasphemabat; alius Dei matrem audire non sustinens, magnum illud nomen, Theotocos, impissime suggillabat, sed contriti sunt insidiatore, conculcati supplantatores, et beatam eam dicunt omnes generationes. Denique s. Pater Bernardinus Senensis (ser. 61. de b. Virg. c. 12) celsitudinem dignitatis Dei Genitricis obstupescens haec stupenda de Virgine Matre loquens dicit non dubitavit: Sicut divinae perfectiones omni intellectui incomprehensibiles sunt, sic perfectiones gratiarum, quas Virgo suscepit in conceptione Filii Dei, soli intellectui divino, et Christo, et sibi comprehensibiles extiterunt: et quidem quod Deus generavit Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura conveniret, ut per eam naturae intellectus produceret Verbum, per omnia sibi aequale, immo impossibile est quod non generet Deum propter suam foecunditatem; sed quod foemina conciperet, et pareret Dominum, est, et fuit miraculum miraculorum: oportuit enim, ut sic dicam, foeminam elevari ad quamdam quasi aequalitatem divinam, per quamdam infusitatem perfectionum, et gratiarum, quam creatura nunquam experta est. Unde, ut credo, ad illam abyssum impercrutabilem

omnium charismatum Spiritus sancti, quae in beatam Virginem descenderunt in hora divinae conceptionis, intellectus humanus vel angelicus nunquam potuerunt attingere; hactenus d. Bernardinus.

Ceterum, ne solum antiquorum Patrum eloquia, sed et profana etiam Gentilium monumenta tantae Matrī inserviant, non pudebit illud quod, Pierio Valeriano referente, de deorum matre decepta gentilitas commentabatur, in medium proferre; sic enim profana in sacra convertemus, ut illa quoque in Deiparae Virginis laudem cedant. Pierius ergo Valerianus in suis Hieroglyphicis refert, quod quavis decepta gentilitas plures esse deos falso sibi persuasit, unam tamen Iunonem omnium illorum matrem esse asseruerit, quam in hunc modum describebat: Foeminam depingebat aureo fuce inter coelum et terram pendentem, ex cuius pedibus bina pondera gravitabant, quorum unum altius elevabatur, quam aliud, quia significabat aquam super terram. In hac Iunone deorum matrem veram Dei matrem descripsit intueor: sicut enim illa pendebat media inter coelum et terram, ita b. Virgo adest nobis mediatrix inter Deum et homines; et sicut ex pedibus Iunonis duo gravitabant pondera, quorum unum altius erigebatur quam aliud, ita ex pedibus b. Virginis, per quos affectus eius intelligit, duo amoris pondera pendebant, primum quod ferebat illam in Deum, ut illum super omnia diligeret, secundum quoque tamen altius elevabatur, ut pote quae praecipit dilectionis Dei super omnes creaturas omnium observantissima esset: quod si Dea illa Iuno super terram et aquam suos pedes locare dicebatur, non incongrue id b. Virginis aptatur, Ecclesastico in persona eius dicente (cap. 24): In fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti: cum enim in maris procellis frequenter opululetur, et in periculis terrae praesto succurrere, ac pio matris affectu sui favere assuescat, merito in fluctibus maris et in omni terra domicilium habere se proflatur. Ut tamen ea, quae hanc Dei Matris dignitatem mirifice commendat, commemorare incipiam, illud primum locum, tamquam basin et fundamentum huius dignitatis, obtinere arbitror, quod sanguinis substantiam, quam aliae matres filiis suis exhibere solent ad eorum formationem, ipsa exhibuit Verbo divino, ut caro fieret, ex quo tantum cum illo coniunctionem novavit, ut beatus Petrus Damianus (ser. de Annuc.) non vereretur dicere: Cum Deus in aliis rebus sit tribus modis, in Virgine fuit quarto speciali modo, scilicet per identitatem, quia idem est quod ipsa. Hinc liceat et contremiscat omnis creatura, et vix audeat aspicere tantae dignitatis immensitatem. Et ne cupiam excessisse videatur beatus Petrus Damianus, addiat d. Augustinum (ser. de Assum. Virg. c. 5) dicentem: Caro Christi caro est Mariae: quibus verbis non aliud docere volumus nisi Patres, quam substantiam illam, quam beata Virgo subministravit in Christi conceptione, hypostaticae unionis vinculo unitam fuisse Verbo divino; existimo autem quod licet in aliis filiis ple-

rumque substantia illa carnis a parentibus ei communicata, paulatim ex vi caloris nativi soleat deperdi; sola tamen carnis substantia, quam beata Virgo Christo exhibuit, nunquam fuit dimissa, aut continua caloris naturalis actione resoluta. Quod ne mere gratis asseruisse videor, afferam auctoritatem d. Augustini, qui (ser. de Assump.) dixit: Caro Christi, quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quae suscepta est de Maria. Probat et ratio ipsa ex verisimili coniectura: nam cum substantia illa desumpta esset ex purissimis Virginis sanguinibus, et optime disposita, parum illius per calorem naturalem resolveretur tempore infantiae Christi, quia tunc alimentum erat facile, et fere sine resistentia convertebatur, maxime in Christo, qui temperatissimo cibo alebatur, scilicet ubere de coelo pleno, ut Ecclesia canit. De reliquo autem tempore vitae Christi fit similis coniectura, quia totum illud fuit tempus augmenti, aut status, in quo humidum radicale fere integrum perseverat, nulla totali illius resolutione facta, ut omnes falenter: igitur substantiam illam carnis, quam Christus e Virgine assumpsit, nullo unquam tempore dimisit.

Secundum, quod dignitatem Matris Dei ad coelum usque extollit, illud potissimum esse arbitror, quod ut illam digne possideret, tam exuberanti gratia fuit cumulata, ut inter omnes creaturas beatissimae Trinitati similimum illam redderet: nam si gloria patris est filius sapiens, manifestum est maximam esse aeterni Patris gloriam, talem ac tantum genuisse Filium: eae Virginem aeterno Patri similem, cum eundem, quem ille ab aeterno, et ante saecula genuit Filium, ipsa in tempore in utero suo concepit; unde sicut ille Pater, haec certe aeternae Sapientiae Mater esse perhibetur; si Filius itidem candor est lucis aeternae, et speculum sine macula, in quo Pater se ipsum intueatur, non secus beata Virgo, tamquam splendidissimum ac nitidissimum speculum, divino Patris intuitu se obiecit, in quo propriam suam figuram impressit, hoc est, Filium suum, qui ut Pauli (Heb. 11) verbis loquar: Splendor est gloriae, et figura substantiae eius: ac tandem sicut Spiritus sanctus vinculum est Patris, et Filii, et medius inter ipsos amor, non dissimiliter beata Virgo mediatrix semper fuit apud Patrem, ut nobis conferret Filium, et apud Filium, ut ad nos mitteret Spiritum suum vivificantem, et apud Spiritum sanctum, ut nos coelestibus divinae suae gratiae charismatibus exornaret. Hinc acutissime Isidorus Ierosolymitanus (lib. de laud. Virg.) Mariam vocavit, Trinitatis complementum: quia praeclecta fuit a Deo, ut Filium Dei carne induens, ac vera eius mater existens, his, quae a beatissima Trinitate circa generis humani redemptionem ab aeterno praedestina fuerant, perfectionem et complementum adhiberet.

Tertium deinde, quod magnopere dignitatem Genitricis Dei extollit, mira est excellentia Filii: si enim verum est illud Prophetae (Osee 9): Gloria eorum a partu, et ab utero, et a conceptu; non potest non magna esse huius matris dignitas et gloria, cuius tam sanctus, ac

tam sublimis noscitur esse conceptus, et partus, maxime Christo Domino dicente, a fructu arborum esse cognoscendam: A fructibus eorum cognoscelis eos. Memini Plutarchum (in Laconici) referre, quod foeminae euidam se gloriant, pretiosissima habere aurea et argentea vasa, insignis quaedam matrona Laena nomine, quatuor decoras, ac perbellis filios omnibus ostentans dixit: Huiusmodi esse oportet honestae mulieris opera, hisque esse iactare: si ergo pulchro quatuor filiorum partu Laena merito se gloriarī posse putabat, quanta quaeis erit gloria Virginis, quae non solum speciosum prae filiis hominum, sed ipsum naturalem Filium Dei, perennem omnium bonorum fontem, peperit? Enarrans propheta Nathan singularia beneficentia ex divina largitate in regem David devinitus collata, illud supremum omnium esse affirmavit, quod ex genere eius decrevisset Filium suum carnem assumere, atque adeo nati- genitū sui dignum parentem esse futurum: primum beneficium, regale sceptrum commemorat (2. Reg. 12): Haec dicit Dominus Deus Israel: Ego unci te in regem super Israel: secundum, quod a morte, quam Saul ei inferre machinabatur, illum eripuisse: Erui te de manu Saul: tertium, quod ei donasset dominum, et uxores, ac gentem tributariam domui sui: Et dedi tibi domum domini tui, dedique tibi domum Israel, et Iuda: tandem vero illud tamquam supremum omnium beneficiorum subiungit: Et si parva sunt ista, adiciam tibi multo maiora: sed quoniam fuerunt isthaec maiora? certe non alia, quam quae ipse David ex ore Dei referi (Psal. 131): De fructu ventris tui ponam super sedem tuam: si igitur esse Christi parentem a longe, adeo ut fuit David, cum ab illo usque ad Christi conceptionem copiosa illa generatio- num series, quam narrat d. Malth. intercessit, tantae dignitatis fuit; quibus celsissimam matris Dei dignitatem non mirabatur, quae tantam cum Christo affinitatem habuit, ut Ecclesia catholica in hunc modum eam salutem: Salve sancta parens, cuius puerperam regem? parens quidem non a longe, ut David, sed et propinquus, adeo ut illum utero suo ex proprio sanguine conceperit, et ex visceribus suis illum pepererit.

Quantum praeterea, quod Dei Genitricis dignitatem aperte demonstrat, est cumulus prodigiorum, quae in eius collatione divina patravit omnipotentia, necnon plenitudo gratiae, quam divina largitas in eam tunc infudit. Equidem si de prodigiis sermo sit, virgo integra virginitate concepta, Spiritus sanctus virginem obumbravit, corpus infantis temporis puncto efformavit, et animam ei infudit, utrumque cum Verbi divini supposito copulavit, et Verbum caro factum fuit, infans abaeque ullo originali peccato plenus gratia prodiit, a puncto conceptionis violator et comprehensor extitit, merebatur enim ut violator, et Deum clare videbat ut comprehensor. Haec tam portentosa miracula, in quibus alia bene infinita desiccant, in collatione dignitatis Matris Dei ad maiorem eius commendationem facta esse perhibentur. Quibus accessit exuberantior quam dici possit, gratiae infusio, quam b. Virgo fou-

tem ipsius gratiae intra viscera sua suscipiens recepit. Ad quam explicandam meminisse oportebit, quod Theodoretus (*sup. Exo.*) quaerens, quare Deus voluit apparere in rubo, non in cedro, cypro, vel alia nobili arbore, respondet cum Glossa, Deum in rubo, non in alia planta apparuisse, ne quis ex rubo posset Deum effigiaré; tantum quidem dignitatem materia illa, in qua Deus apparuit, ex praesentia ipsius Dei accepit, ut illam, velut Deum, voluissent homines adorare: non dissimiliter ex reali praesentia Christi, per novem menses in utero materno delitescens, talem gratiae splendorem, ac tantam maiestatem b. Virgo mutuavit, ut antiquissimus ille Dionysius Areopagita assereret, quod nisi fides illi obstaré, tamquam Deum b. Virginem veneraretur. Cum etiam ait sacer textus, rubum illum ardere, sed non consumi, singularem quandam beatæ Virginis excellentiam super omnes sanctos portendit. Alii enim sancti, etsi divini amoris flammis aestuabant, peccata tamen venialia charitatis illorum fervorem minuebant; at b. Virgins, dum amoris igne incalcescebat, et charitatis flammis ardebat, nulla peccata venialia, quae longe ab eo aberant, fervorem eius absumere aut minuire poterunt. Certe sanctorum nemo dicere audebit, nunquam peccavi, dicente Ioanne (1. Ioan. 1): *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*; at b. Virgo dicens, nunquam peccavi, non seducitur, sed veritas sincera in ore eius est.

Ad haec, illud miram Virginis sanctitatem aperissime delegit, ac Dei genitricis dignitatem mirum in modum exallat, quod ipsa heroicis suis operibus eam promeruit obtinere: est enim laude dignus, quod quisque proprio labore et industria, quam quod ex principio mera liberalitate sibi comparat: unde de rege Siciliae Agathocle legimus in Apothegmatibus, quod cum ex figulo ad regiae dignitatis culmen ascendisset, iussit in abaco sua flittilia vasa ex luto inter aurea et argentea locari, quia, ut ibidem dicitur: *non pudit priusinae fortunae, sed magis aestimavit regnum virtute partum, quam si haereditate obtinisset: nam regem nasci, nihil magnum est; ad regno dignum se praestitisse, maximum est.* Quod adeo verum putavit eloquentiae parens, ut ad rationem dignitatis pertinere arbitretur, habentem dignum esse illa; quapropter dignitatem in hunc modum definiit: *Dignitas est aestimatio quaedam, quaesita claris gestis, magnificaque opinio: beata igitur Virgo ut honorificentius Dei Genitricis dignitate gauderet, illam, divina gratia sibi optulante, propriis operibus promeruit: sic enim loquitur Ecclesia catholica: Ut dignum Filio tuo habitaculum effici mereretur.* Sic etiam loquuntur antiqui Patres; nam d. Augustinus (*ser. de nat. Dom.*) ait: *Recole in libro Isaiae virginem, quam legisti, et gaude, quia tu esse meruisti.* Idem d. Augustinus (*serm. 10. de Nativ. Dom.*): *Talis eligitur virgo de toto mundo, quae tantum haberet meritum, ut Filium Dei in semetipsa susciperet.* d. Chrysostomus (*ser. de Chr. praesent.*): *B. Mater ultra omnem humanae naturae modum, no-*

destiam, ac temperantiam excoluit, et ob id universorum Dominum in utero gestare promeruit. d. Hieronymus (*epist. ad Eustoch.*): *Tanta puritatis Maria exstitit, ut meretur effici mater Dei: d. Gregorius (in l. 1. Reg. cap. 1): An non sublimis Maria, quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros usque ad solium deitatis erexit? B. Petrus Damianus (ser. 3. de nativ. Mariae): Ad instar coeli plenitudinis totius divinitatis meruit esse sacrarium, ac templum.* Doctissimus Alcuinus, Caroli Magni quondam praeceptor (*lib. de Trinit. c. 14*) ait: *B. Maria fuit lana mundissima et in virginitate clarissima, et incomparabilis universis, qui erant sub coelo, hominibus; eratque talis, ac tanta, ut sola digna esset, qua nullus alius indueretur, nisi augusta praeditus dignitate.* Eodemque spectat, quod Venantius Fortunatus in haec carmina cecinit:

Virginitas felix, quae partu est digna Tonantis,
Quae meruit Dominum progenerare suum.

In eandem sententiam conspirant reliqui omnes Patres, d. Basilius (*homil. de hum. Christi. generat.*), d. Ambrosius (*epist. 82*), d. Bernardus (*ser. 1. de Assumpt.*), d. Epiphanius (*haeres. 78*), Honorius (*lib. de aet. gaud.*), Magentius (*in cap. 1. dec.*), et Euthymius (*in exposit. Cant. super Magn.*). Quamvis autem non improbabilius Abulensis (*Paradox. 1. c. 34. et 85*), Gabriel (*3. d. 4. art. 3*), et Maior in ea fuerunt sententia, ut putarent, b. Virginem ex suppositione incarnationis a Deo iam praedefinita meruisse de condigno, ut potius ex ipsa, quam ex quacumque alia foemina Verbum divinum carnem assumeret, angelici tamen doctoris s. Bonaventurae doctrinae magis consentiens, b. Virginem assero de congruo meruisse, ut Dei Genitricis dignitatem obtineret: quod s. Thomas his verbis perdocte explicuit: *Ex gratia sibi data meruit illum sanctitatis gradum, ut congrue posset esse Mater Dei, ad quod sane nullus unquam pertingere valuit, nisi sola b. Virgo: quia cum a Deo praedecta esset in virginis sui matrem, et unicuique largiatur Deus gratiam accomodatam statui, et numeri suo, consequens est tot coelestibus dicinae gratiae charismatibus illum locupletasse, quot opus erat ad hoc, ut si non de condigno, saltem de congruo matris Dei dignitatem, et per consequens in elevatissimo illo, ac supremo gratiae unionis hypostatice ordine immediate post Christum collocari promerret.* Quidquid tamen sit de hoc, vel illo genere meriti, illud omnino certum est, beatam Virginem ratione huius maternitatis excellentissimum quandam, ac supremum dignitatis gradum inter puras creaturas attingisse, propter singularissimam, quam cum Deo habuit, conjunctionem: necnon etiam certum est, ratione eiusdem maternitatis, ius habuisse ad bona omnia Filii sui, superioritatemque quandam supra Christum obtinuisse, qualem habere debebat matrem respectu sui naturalis filii: quod genus supremæ auctoritatis, utpote supra Deum, adhuc in patria viget in Virgine, quia praeferat quam quod attinet ad matris dignitatem,

moralis modo consideratam, certissimum est eam perseverare in Deipara, neque unquam fuisse imminutam: quia licet in triduo mortis Christi non esset hic homo, quem b. Virgo genuerat, vere tamen erat ille, quem genuit, hoc est Filius Dei, habens unitas sibi partes illius humanitatis, quas ex Virgine accepit; praeter hoc, inquam, existimo beatam Virginem actu habere eandem realem relationem maternitatis, quam generando Christum sibi acquisivit: licet enim in morte sua illam amitteret, in resurrectione tamen eam recuperavit, ut sic ex omni parte perfecta esset eius resurrectio, dum non solum resurrexerat, ac fuerat Christi Mater, sed etiam formaliter in quantum mater. Ad quod facilius intelligendum, si fingeremus, quod nec b. Virgo, nec Christus obissent, sed translati fuissent ad gloriam, tunc nullus sane dubitaret adhuc in Virgine perseverare relationem maternitatis, eo solum nomine, quia semel Virgo genuit Christum: hoc autem aequè verum est, etiam si b. Virgo inferioriter, et postea redierit; igitur et nunc retinet in patria eandem maternitatis relationem, quam habuit in vita.

Ad extremum id dicere non paream, nonnullos graves Ecclesiae Patres, nec non sapientes quosdam theologos asseruisse, beatam Virginem non solum ad Christi generationem, tantquam veram ac naturalem eius matrem concurrens, sed divinitus etiam elevatam fuisse ad hoc, ut tantquam Dei instrumentum humanam Christi carnem Verbo divino uniret: ita expresse docuit d. Bernardus (*li. 5. ad Eugen.*), dum ad Eugenium Papam scribens, Mariam comparavit mulieri illi evangelicae, cuius meminit d. Matthaes (*cap. 13*): quia sicut haec tres farinae mensuras, aut tria sata commiscuit, atque contempavit, ita Maria Verbum divinum, animam, et carnem, perinde ac tria sata, in unitate personae Christi coniunxit. Conspirat in idem d. Ambrosius, qui (*epist. 82*) ait: *Per hominem, et mulierem caro eiecta est de Paradiso; per Virginem iuncta est Deo.* Anshertus etiam, qui ante sexcentos annos egregius in Apocal. edidit commentarios (*lib. 2. de Mar. humil.*) haec praecleara scripsit: *O quantum meruisti, quantum beata humilitas in sacra Virgine valuisti! quid in Virgine meruisti, nisi ut Deum homini coniungeres, ut Verbum carni unires? Ac tandem Hesychius (*hom. 2. de beat. Virg.*) vocat illam, instrumentum incarnationis: incarnatio autem Verbi cum formaliter consistat in unione hypostatice carnis cum illo, consequens est iuxta huius doctoris sententiam, Virginem fuisse instrumentum Dei ad attingendam praedictam unionem: quae cum cociliium Tolocum VI. et X. efficientiam huius unionis soli Deo tribuunt, intelligendum est per illam exclusivam non excludere nisi causalitatem alterius causae principalis, non causam instrumentalem.*

Porro tandem, ut quae hucusque in commendationem maternitatis b. Virginis ediximus, magis stabiliantur, oportet verba illa Christi Domini elucidemus, quibus eam deprimere videtur: nam foemina quadam in Christi honorem exclamante (*Luc. 11*): *Beatus venter, qui*

*te portavit, et ubera, quae suxisti: ille continuo occurrit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud: iuxta explicationem autem d. Augustini (10. in Ioan.) perinde fuit, ac si diceret: Mater meae inde felix est, non quia in illa Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, sed quia custodit ipsum Verbum Dei, per quod facta est: et (in li. de S. Civit. c. 3) inquit: *Beatorum fuit Maria percipiendam fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.* Abiecit etiam ait idem pater Augustinus (*epist. 38 ad Laetia*) propinquitatem maternam, cum dixit: *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? et extendens manus in discipulos suos dicit: Ecce mater mea, et fratres mei: quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est: quibus verbis d. Cyprianus (*serm. de pass. Dom.*) censet similiter Christum praetulisse Matri auditores verbi, et pauperes spiritu. Verum haec nihil prorsus dignitatis Matris Dei derogant: primo, quia haec bifariam potest considerari, aut per se sola praecise, et ut consuetudina a gratia iustificante; vel ut includens illam tantquam dispositionem omnino concedentem ad talem dignitatem suscipiendam: si priori modo consideretur, necom certe inficiabitur beatus esse habere gratiam iustificantem, quam esse matrem Dei; et in hoc sensu accipienda sunt praecitata verba Christi Domini, et in eodem intelligenda testimonium d. Augustini, et Cypriani: in secundo autem sensu accipitur dignitas Matris Dei, cum assentit, omnem creatam dignitatem purae creaturae longo intervallo antecellere: sicut enim ratione unionis debebat humanitati Christi summa gratia, et gloria, ita ratione maternitatis Dei debetur Virgini, suo modo, insignis quaedam, ac superabundans gratiae plenitudo, ut exposuit d. Thomas (3. p. quaest. 7. art. 10) dicens: *In Virgine fuisse plenitudinem gratiae tali dignitati proportionatam: quo etiam modo d. Augustinus dixit (lib. de nat. et grat.): Inde novimus tantam gratiam illi esse collatam, quia Deum concipere meruit, et parere: quibus consonant illa Sophronii (*sermone de Assumpt.*) dicentis: *Talibus decebat Virginem oppignorari muneribus, ut esset gratia plena, quae dedit caelis gloriam, terris Deum.* Secundo possunt dicitur Christi verba aliter in hunc modum explicari, ut consideretur Virgo tantquam Mater Christi, ut homo est, praecedendo ab eo dignitatem personae increatae; secundum quam considerationem certum est non habere Virginem dignitatem aliquam, quae cum dignitate filiorum Dei valeat comparari, quia illo modo non consideratur, ut Mater Dei: mulier enim, quae Virginis uterum beatum dixerat, nihil certe de Christi divinitate cogitabat: unde antithesis illa: *quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, contrapositio fuit praecise ad maternitatem Christi, ut homo erat. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.****